

**Asselin, Jean-Baptiste-Charles -
candidat / Liger, Charles-Louis -
président / Costar, Joachim Jean -
auteur. - An tutiùs ab Acu, Trois carts
dictâ, quàm Scalpello & Lanceolâ
Paracentesis ?**

1788.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi. viâ dictâ
du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°160

102

DEO OPTIMO MAXIMO,
VIRGINI DEI-PARÆ,

ET S. LUCÆ, MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis quartâ mensis

Martii, anno Domini M. DCC. LXXXVIII.

M. CAROLO-LUDOVICO LIGER, Consiliario Medico Regis ordinario in urbe & comitatu Altissiodorensi, Doctore Medico, Præsidente.

An tutius ab Acu, Trois carts dictâ, quàm Scalpello & Lanceolâ Paracenthesis?

I.

VICTUS ratione, medicamentorum administratione, & manu operante; Therapeutice morbos curat; Diætâ, Pharmaciâ, & Chirurgiâ constat. In Theoreticam, & Practicam ultima dividitur. Theoretica corpus humanum cultro anatomico perpendit; Practica vulnera sanat, tumores resolvit, apostemata maturat, ulcera abstergit, luxationes reducit, fracturas restaurat, & methodum operandi docet. Multiplices sunt chirurgicæ operationes; quinque statuuntur præcipuæ, Synthetis, Diæresis, Exæresis, Prosthesis & Taxis. Inter hæc non minor Paracenthesis abdominis, ad Diæresim simul & Exæresim referenda. Olim Paracenthesis formidabatur; in morbis illam postulantibus vesicatoria, cauteria, escharotica, setacea, & scarificationes anteponebantur. Ita Asclepiades, Leonidas, Hippocrates, Albucasis, Aëtius, Paulus Ægineta, Coelius Aurelianus. In posterum non tam immanis hanc Paracenthesim celebrandi modus. Receniores, primis temporibus, scalpello & lanceolâ utebantur. Ætate autem nostrâ, acus inventa est, *Trois carts* nuncupata, quâ tutius, quâ sine damno, nullâ remanente fistulâ fit Paracenthesis. Sed ut tutò, citò, & jucundè in ascite celebretur, hujus morbi species rectè cognoscenda.

I I

PARACENTHESIS non inconsultò suscipienda. Hydrope laborantis totum prius abdomen aspice; utrùm in unum congestæ sint aquæ, an dispersæ hæreant, explora. Si prius; vel ipsum ventris cavum replent, vel in singulari cystide concluduntur: sin posterius; cellulas adiposas, necnon musculorum interstitia imbuunt. Collectionem dignosces, abdominis alterum latus premendo, alterum immotâ manu tangendo fluctuationem percipiens; ne tamen hoc signo in errorem inducaris, ventrem talitris percute, quibus aquæ columnarum instar in opposito latere manum tangentem percellent. Cystidem peculiarem indicat solita urinæ copia, ac dolor profundior circa regionem cystidis undequaque gravans. Alteram hydropis speciem manifestat tumens venter, nullum fluctuationis

* Propug. ann. 1726, à Joachimo Joanne COSTAR; Præf. M. Claudio-Antonio RENAUD.

signum edens, cutis pellucida, impressam digito foveam diu retinens, umbilici recessus profundior. Ascite cognito, æger adhuc examinandus, an hepatis aut lienis dolore vexatus fuerit, an dumtaxat in alterutro hoc viscere, aut in mesenterio antehac percepta, ut in latere minus affecto fiat Paracentesis. Non admittenda, cum dolores continui adsint & affidui, effluentes enim aquas identidem sifterent, imò subinde suffocationis metu ægrotum percellerent. Frustrà tentari solet in ascite confirmato. Locum habet tantum, quando brevi tempore ad insignem magnitudinem pervenit tumor, hydragogis, aliisque auxiliis incassum adhibitis, viribusque adhuc constantibus. Ita Hippocrates statim secare jubet, in eo scilicet qui non febricit, pulmonis ulcere, alvi fluxu expertus est, corpore non emaciato, ætate florente, & omnino *ευσπλαγχτος*. Si è contra ascites jam diu sit congestus, vires conciderint, & viscera labem contraxerint, ut in ascite à scirrhus hepatis, aut lienis, aut morbo acuto succedente, frustrà tentatur Paracentesis, nulla salutis spes est, imò sæpè anima cum aqua educitur. Non leviter errant, qui in desperatis eam instituunt. Non sunt (inquit Celsus) temerè profananda remedia, quæ multis fuere præsidio. Hisce consideratis, manuum opus aggrediatur Chirurgus. Scalpello, lanceolâ, vel acu perfici operatio potest. Uniuscujusque methodi sola descriptio præstantiori favebit.

I I I.

IN singulis operationibus tria præcipue consideranda veniunt, apparatus dispositio, situs ægrotantis, & locus operationi dicatus. Apparatus instrumenta, nempe scalpellum, cannulam, emplastra, penicillos, & fascias exhibet. Situs est in lecti crepidine, vel in sedili aptato. Locus autem in medio spatii umbilicum inter & cristam ossis ilium comprehensus, plerumque designatur; hunc non semel ipsemet umbilicus eminens opportunè monstravit. Cum per umbilicum aquarum evacuationem natura quandoque molitur, creditum est etiam hæc educendum esse quò illa vergit. Imò citrà multarum partium solutionem hæc umbilici punctio. Non inter umbilicum & pubem sectio illa præscribitur, ne lineam albam, medias latorum abdominis musculorum aponevroses, aut intergerinos rectorum tendines fortè lædat. Nunc operandi ratio narranda. Partis designatæ cutem auxiliante ministro tendit Chirurgus, tensamque transversâ sectione ad muscululos usque scalpello dividit. Hic non anceps eligitur, ut ipsum impunè tegere queat digitus index cuspidem instrumenti directurus. Sectâ cute, ac superiore vulneris labro fursim (ut facilius postea consolidetur) deducto, musculi ac peritoneum inciduntur, cavendo ne omentum vel intestina lædantur. Vulneri cannula inferitur aurea, argentea, plumbea, aut stannea, aliquantulum incurva, magnitudinem calami scriptorii adæquans, eâ longitudine, ut ultra peritonæum transeat, non verò majori, ne partibus internis sit molesta; recurvatis etiam labris, ne tota intus delabatur. Per hanc aquas sensim educendas esse suadent, non affluenter, neque repente, sed per plures dies pro ratione virium, pulsu tactuque explorandarum. Observatur hic magni Hippocratis effatum: Quicumque suppurati, aut aquam inter cutem patientes, uruntur aut secantur, si pus aut aqua universim effluerit, omnes moriuntur. Eductis aquis, vulneri spongiâ obturato pulvilli gradatim apponuntur, fasciis ventrem ambientibus detinentur. Per plures dies spongia relinquitur, donec sensim ac paulatim omnis exstillaverit humor. Interea viribus ægrotantis prospicitur alimentis boni succi, facilisque coctionis & tandem vulnus more solito curatur.

IN alterâ Paracenthesim instituendi methodo, lanceola, stylus, & fistula apparatus componunt. Lanceola venis aperiendis adhiberi solita eligitur, quæ ad medias usque cum laminæ, tum manubrii partes linteo, ne inter operandum vacillet, involvitur. Stylus teres sit ac tenuis. Fistula sive tubulus stylo adæquatè conveniat, ut alterius per alterum facilis sit tractus, & utriusque tuta per vulnus introductio. Apparatu sic disposito, & ægro in sedili aptè locato, minister, vel quispiam alius à tergo constitutus, utràque manu tumentem ventrem anteriora versis urgeat, dum Chirurgus abdominis eandem ferè particulam, ac in primâ methodo ad peritonæum usque lanceolâ dividit. Veteres qui umbilico propius sectionem esse factam dixerunt, facillè excusabis, si illos non de ventre tumido, sed depleto locutos esse intellexeris; tunc enim tensione cutis ac musculorum cessante, multò minor vulneris ab umbilico erit distantia. Lanceolâ in cavum ventris, non profundè, ne lædantur interanea, sed superficie tenus adactâ, aquæ statim profiliens, operationem ex voto factam indicant. Ad latus instrumenti, tantisper in vulnere relinquendi, stylus in abdomen placidè immitendus; tum extractâ lanceolâ, tubus ope styli, quem ambiat, etiam in ventris cavum pertingat. Extracto denique stylo sive specillo, per tubulum fit aquarum effluxus, non quidem simul & semel, metu, ne subitus à summâ repletionem ad extremam inanitionem transitus vires ægrotantis prosteruat. Omne nimium, id est, multum (inquit Hippocrates) naturæ est inimicum, quod verò paulatim fit, tutum est. Aquis ad libitum evacuatis, linamento fistula occluditur, & imposito emplastro adstringente, penicilla spiritu vini alio-ve liquore subtili imbuta gradatim applicantur, mantili fasciisque humeros amplectentibus appositè continenda. Elapsis aliquot diebus, remoto obturamento aquæ iterum educuntur, & eodem sistuntur apparatus. Educto ita per vices omni fero, vulnus remedio communi vel sponte coalescit.

V.

ACU, penicillis, & mantilibus tertiæ Paracenthesis apparatus absolvitur. **A**cus, gallicè *Trois carts*, instrumentum est veruculi teretis figuram referens, cujus extremitas altera manubrio infixa est, altera triangulo mucrone acuta; fistulâ crassitudine ejusdem accommodatâ conclusum, verum aliquantò breviori, ita ut cuspis extrâ promineat. Intus exquisitè polita sit fistula, ne inter operandum extrahendæ acui asperitudo obstat. Caput ejus latum, planum, & orbiculatum erit, ut digitis aptè tractari possit extrahenda fistula; vel etiam cochlearis instar recurvum, ut effluentibus aquis diverticulum sit, ne tegniùs labentes ægroti corpus perfundant. Paratis omnibus, ipsa Paracenthesis sequenti modo administranda. Eger vel commodè sedeat, vel in extremâ decumbar spondâ. Adstantium vel unus, vel plures admotis retrò & utrinque manibus abdomen antrorsum ac sensim cogant; partim ut ad locum punctiōni destinatum colligantur aquæ, & ritè evacuentur, partim ut peritonæum aquis ad extus propulsum ab intestinis distet, & absque ipsorum noxâ perforetur. Tum Chirurgus aculeum fistulâ munitum, illito prius oleo, inter digitos indicem & medium ita detineat, ut volâ manus innitatur instrumenti manubrium, cujus mucro in ventrem obliquè protrudatur, & ad cavam usque regionem penetret; deindè acum depromat è fistulâ, hanc verò abdomini infixam relinquat, ut faciliùs exeant aquæ, & ad vas humi positum

determinari queant. Inter hæc Chirurgus, ministri, aut alii adstantes ventrem magis magisque comprimant, ut aquæ per apertam ipsis viam indefinenter eliminentur. Hac etiam compressione musculi epigastrici partesque aliæ nimium laxæ ad sese invicem admoventur; atque cavetur, ne evacuatis aquis, præcipiti lapsu diaphragmatis respiratio deficiat, & æger syncope mortem non raro nunciante corripiatur. Si effluentes aquæ non liberè satis manant, vel planè sistuntur, per cannulam stylus extremitate globosus introducetur, ut epiploon vel intestina aquis exitum denegantia dimoveantur. Ægrotus exeuntibus aquis immotus sedeat, calidis fovendus mantilibus, ne frigescat, & quod magis infausum est, tussiat. Aquis omnino evacuatis eximatur cannula, vulnere penicilla spiritu vini simplici tepidè aspersa imponantur, quadruplicatis linteis eodem liquore madefactis tegenda, ac tandem mantili duplicato totum abdomen cingente fasciisque humeros amplectentibus firmanda. Præscribenda erunt alimenta & cardiaca ægrotanti, ut de novo recreari possit. Elapsis tribus aut quatuor horis lintea denuò constringantur; idque sensim per intervalla repetatur, donec musculis & visceribus pristinus tonus omnino restituatur. Solâ trium operandi methodorum expositione satis superque elucet, illam, quæ acu fit, præstantiorem esse. In prioribus quantus apparatus, quot sectiones, quot vulnera, quanta sæpè curandi difficultas, imò quotiès periculum ab acriori sero, gangrænâ sceleris non raro minitante partibus, imò ulcera & immedicabiles sæpè fistulas moliente! Acus autem nostra uno ictu celeri, exiguo ac sponte sanabili rem omnem absolvit, adeoque, citò, tutò, jucundè.

Ergò tutius ab Acu, quàm Scalpello, & Lanceolâ, Paracenthesis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

<i>M. Jacobus-Franciscus DE VILLIERS, olim Regis Exercituum Medicus ordinarius in Germaniâ.</i>	<i>M. Joannes-Franciscus-Jacobus ROUSSILLE DE CHAMSERU.</i>	<i>M. Laurentius FERRET, Ecclesiæ Cameracensis Canonicus.</i>
<i>M. Eduardus-Franciscus-Maria BOSQUILLON, Eques, & Societate Medicâ Edimburgensi, Professor & Censor Regius.</i>	<i>M. Joannes-Jacobus PAVLET, Censor Regius, Academiæ Regiæ Matritensis Socius, Physiologiæ Professor.</i>	<i>M. Michaël-Joseph MASAUT, antiquus Regis Exercituum in Germaniâ Medicus.</i>
<i>M. Ludovicus-Carolus-Henric. MACQUART.</i>	<i>M. Sanctus-Ludovicus GUINDANT, Censor Regius, & Regiâ Scientiarum Academiâ Monspeliensi.</i>	<i>M. Gaspardus COCHON DU PUY, Regii Ordinis Eques, Regis Consultarius & in Arte maritimâ Rospfortensi Anatomæ & Chirurgiæ Professor.</i>

Proponerat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-CAROLUS ASSELIN, Abrincensis, Doctor Medicus Cadomensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1788, AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis CULLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, viâ dictâ de Fauarre, 1788.

